

Franckesche Stiftungen zu Halle

Gothanae Rei Litterariae Accessio Nova Svb Novvm Natalem Dominicvm, monumentum Aegyptiacae sapientiae, & religionis, Mvmia Integra Mvseo Irenopetraeo ...

Vockerodt, Gottfried

Gothae, [1725?]

VD18 13389092

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201373



179 C. 8

2433

17 15

GOTHANAE REI LITTERARIAE
ACCESSIO NOVA SVB NOVVM NATALEM DOMINICVM,
monumentum AEGYPTIACAE sapientiae, & religionis,
MVMIA INTEGRA

MVSEO IRENOPETRAEO ILLATA, ET COLLOCATA
in theatro anatomico recens adornato,
inter pia vota, & laeta omina, quibus ILLVSTRIS GYMNASII nomine
prosequendus est DIES AVSPICATISSIMVS,
cum reliquo Aegyptiacae antiquitatis apparatu Gothano
celebrabitur a SELECTIS alumnis,

HENRICO FRIDERICO MEISNER,
GOTHANO,

ADAMO GOTTLOB SCHAPER,
HERBSLEBIENSI,

FRIDERICO ALBERTO AVGVSTINO,
FRANCOFVRTI AD VIADRVN nato,

sed renato, & ad CHRISTIANORVM sacra conuerso Sondershusae:
quorum *primus* VETERVM AEGYPTIORVM theologiam,
alter iurisprudentiam, *postremus* artes imperatorias
repraesentabunt:

ad quorum sermones publicos, crastino die, post horam VII. ante meridiem
in auditorio CLASSIS I. habendos,

ILLVSTRIS SCHOLAE PATRONOS, ET FAVTORES
obseruantissime inuitat RECTOR,

GOTHOFREDVS VOCKERODT.

P. P. IPSO DIE NATALI DOMINICO,
VIII. AVGVSTI, CIO DCCCXXV.

GOTHAE, LITTERIS REYHERIANIS.



Vorum interest, veritatis & pietatis fundamenta everti, si aperte id agant, deferentur ab ipsis impietatis fautoribus, quibus pudor superest. Notionem veri, & recti, sanctique moris disciplinam qui cum applausu multitudinis voluerint oppugnare, utriusque studium simulent oportet: quod quo profitebuntur ambitiosius, eo consequentur facilius, ut illa oblitteretur, haec perturbetur, & labefactetur. Non alia ratione Muhammed, impurum caput, & pessimi propositi homo, tam probabilis impostor factus esset, dignusque visus, ad cuius placita totus ORIENS conuerteretur, negligereturque Mosis, & Christi autoritas. Vtrumque laudando, & ex illius non minus, quam huius oraculis, & vulgatis passim statutis deligendo, & inculcando, quae pravae cupidini minus contraria viderentur, obtinuit, quod falsi apostoli, prioresque ventris, & gulae serui frustra tentauerant, ut amicus esset Christus, amicus Mosis; sed amicus magis fieret Muhammed, utriusque auctoritatem non tollere; sed humano captui, affectuique accommodare visus. Quo minus enim Mosis nomen, & praecepta religiosa ab ORIENTE, quam OCCIDENTE explosa, contempta, & aliena ab omni ratione iudicata sint, adeo ut Romae Iudaeus Apella credere iuberetur, quod omnibus hominibus videretur incredibile, Iudaicae gentis exilia per illos orbis terrarum tractus effecerant dudum, & non ita pridem Zenobia late domina, Iudaeis non solum fauens; sed eiusdem originis, atque religionis non dissimulatae, cum deesset, quem metueret. Valescere igitur ex eo tempore poterant, quae diu ante per totum ORIENTEM notescabant, Mosis, Iudaicaeque populi statuta, mores, & ritus. Tanto minus dubitare impostor potuit, tolerabiles illis populis fore Iudaicae gentis ritus servatos, quos OCCIDENTIS populi protinus fuissent aspernati. Quos dum ille admisit, antiquitatis etiam opinionem conciliauit suis statutis omnibus, etiamsi novis,

& ad deliniendam popularem libidinem, suamque huic accommodandam & confirmandam potentiam, explendamque late regnandi cupiditatem recentissime excogitatis. Nostra tempestate cum non defuissent Muhammedicae indolis, & destinationis aemuli, architecti videlicet quintae monarchiae, nouique religiosi ritus cum agitato noui orbis terrarum imperio auctores, & administri, arripiendae fuerunt artes Muhammedicis non dissimiles, statuta religiosa hominum libidini accommodanda, laxanda Christiani moris disciplina, non vsu solum, & praua indulgentia perfunctorie sacra munera obeuntium; sed deliberatis **PROBABILISMI** legibus, & **PHILOSOPHICE PECCANDI** licentia rationibus constituta, ne cuiquam religioni amplius esset facere, aut pati, quicquid suo Muhammedi censeret profuturum, & ad roborandum, amplificandumque nouum imperium utcunque pertinere videretur. Non temere autem hoc hominum genus statuit, tantae molis rei, conatibusque suis obesse posse nouitatis suspicionem, & inuidiam, & satis conflictatum suum **PROBABILISMVM**, & **MOLLISMVM**, non Thomae solum; sed Augustini etiam, & aliorum veteris ecclesiae doctorum, nec non Pauli, Petri, ipsiusque Christi, Moysi, & prophetarum autoritate, & adhuc aegre inter suos assertum: **PECCATI** autem **PHILOSOPHICI** mysterium inuentum quidem, & propositum; sed pene explosum: ut desperandum sit, stare posse nouae haec religionis, & destinati imperii firmamenta, nisi ex machina adsit; qui illa roboret, & nouitatem exprobrantium rationes infirmas reddat, & irritas. Audendum ergo hic aliquid fuit breuibus Gyaris dignum. Veterum scriptorum omnium praeter Ciceronem, Plinium, Virgilium, & Horatium, in dubium vocanda fuit autoritas: explodenda codicis sacri **VERSIO** Latina Hieronymi, & Graeca **LXX.** cum Richardus Simon Hebraici codicis integritatem dudum satis videretur oppugnasse, nec verendum adeo esset, ne eo plures confugerent. Insignis autem huius imposturae, qua totus orbis litteratus tam diu delusus videri debuit, autor, tempus, occasio, administri, & subsidia prodenda fuerunt. Seuerus aliquis Archontius, in Augusta historia memoratus, trium Persarum regum aequae fictorum, & falso distinctorum, Artaxerxis Longimani, Darii Nothi, & Artaxerxis Mnemonis potentiam, originis infamiam, & ingenii felicitatem sustinens, vel qui expressa natura, & numero litterarum nominis diserte designatur, Germanicae libertatis, & imperii vindex strenuus, **FRIDERICVS II. IMPERATOR** laudatissimus, & simul incipientis fraudis, & doli litterarii tempus, seculum post C. N. decimum tertium memoratur. Occasionem fallendi suppeditasse huic **PRINCIPI** copiam, & abundantiam numerorum veterum, quamuis non probe satis cogni-

cogni-

cognitorum: hoc studio autem, & amore pecuniae veteris Seueri Archontio similem illum fuisse, cuius nomine honoratus sit; atque cum ipse esset litteratissimus, & plures linguas calleret, facile instituti sui administrum natum, vndeunque propositis praemiis euocatos, congregatosque ad strophas praescriptas concinnandas: quorum opera, & studio ingenii foetus, codices omnes Graecorum, & Romanorum pro vetustis habitos, elaboratos, & descriptos vulgare, & bibliothecis omnibus inferre, statuasque, & antiqua monumenta fictis codicibus consentanee refingere potuerit. Ita certe nulum vetustum monumentum superest, cuius indubitata fide, & autoritate oppugnari possint excogitata pro noua religione, & sui Muhammedis, Solipforumque regno commenta; atque his frustra nouitas obiicietur, cum rationes contrariae aequae ex nouatis monumentis depromptae videantur. Ad hoc autem constanter asserendum sufficiet ex PROBABILISMI lege vnus etiam autoritas. In hac autem quaerenda sine dubio maxime sudandum fuit, praesertim cum tam praepostere, tam incondite, tam monstrose dici videretur, imperatorem FRIDERICVM II. omnium veterum scriptorum autorem esse, vt vix somniare sanus tale putaretur. Idoneus tam insignis commenti autor hic statuendus erat in medium, quam personam non CASVISTA, nec SCHOLASTICVS disputator, nec CONCIONATOR ecclesiasticus, nec ex litterario ludo RHETOR, vel GRAMMATICVS, nec ex curiis, & principum palatiis PRAGMATICVS sustinere posse videbatur. HISTORICVM certe esse oportebat; sed hic formidandus erat Petauio, Sirmondo, Papebrochio, Henschenio, Bollando similis, in quo historici studii beneficio custoditus esset sensus communis, & rectum de rebus iudicium, vt non facile adeo in transuersum se rapi pateretur, vt videri vellet aduersus solem loqui, & affirmare, quod nec ipse credere, nec cuiquam sano persuadere se posse videret. Monstro itaque non minus simile fuit, talem tandem esse inventum, eumque non vulgaris notae homuncionem; sed cuius vulgata ingenii monumenta & solidam scientiam, & rectum de rebus iudicium satis arguunt. Cui nisi persuasum fuisset, excusate pro communi causa dici posse, quae ipse non crederet, non tantum secessisset a se ipso, vt scriptis duobus libris, *Chronologia ex numis antiquis restituta*, & *Chronologia V. T. ad vulgatam versionem exacta, & numis antiquis illustrata*, falsissimum illud commentum confirmatum ire velle videretur. Vt appareret, iustum se magis eruditum autorem, celebrem Io. Harduinum, talia comminisci, quam bona fide ita scribere, & sentire, trium theologorum suae SOCIETATIS suffragationem, nec non PRAEPOSITI PROVINCIALIS, Petri Dozenne, de hac re testimonium in fronte librorum extare voluit, quibus

bus rationem reddendam permittit de eo, quod testati sunt, nimirum in his libris *nihil esse, quod fidei CATHOLICAE, vel bonis moribus contrarium sit*. At vero inaudita rei nouitas non passa est hic abiicere pudorem, & causae sacrilegae seruire placitum absurdissimum. Damnandum clamatur a nolentibus, volentibus, quod publice fuerat approbatum: quanquam ex voto conscriptorum instituti, & consilii res successisse videri possit, & ideo damnari sententia, ut legatur cupidius, & vulgetur latius, cum non damnata neglecta fuisset propter absurditatem, & facilius obscurata. Certe, autorem ideo nihil existimationis amisisse, inde constat, quod conciliorum edendorum illi cura demandata est; eiusque opera tanto operi impensa approbata, & omni applausu excepta est. Intelligitur hinc, ni fallor, instituti ratio arcana, & dissimulata, videlicet quantum intersit huic hominum generi, ut postquam e manibus plebeiis publica autoritate excussi sunt sacri codices, nec in pretio, & usu hominum relinquuntur litteratae vetustatis monumenta; sed tanquam ficta nuper, & per dolum obtrusa negligantur, desintque, qui nouae religionis autoribus, & rei litterariae impotentibus dictatoribus opponere possint contraria, & sana veterum instituta; vel ut admissa, vel reuocata postliminio barbaries valeat, & dominetur superstitio, geminum, & detestandum in rebus humanis malum, & ideo maiorum nostrorum industria tam studiose profligatum. Dudum fraus illa suboluit prudentioribus, & suspecta fuit docendi horum hominum cupiditas pene insana, qua ita sibi vindicant iuuentutis instituendae prouinciam, ut alios vix patiantur isto munere fungi, ubi semel admissi sunt ad docendum. Obseruatum est, nomine, & specie emendandi vulgarem instituendae iuuentutis rationem, discentes a rectioribus studiis, & solidae eruditionis fontibus genuinis, praesidiisque legitimis, diuinorum oraculorum codice, & antiquis litterariis monumentis, Graecis, Latinisque, nec non artium, & scientiarum fundamentis probatis detorqueri ad inanes nugas, & histrioniam, ad sribliginem, & rus inficetum more scholasticorum philosophantium dudum explosum, ad dicendum, ut placeant magis, quam ut prosint: atque hoc pacto ex Hispaniis, Italia, Poloniisque, ubi antea litterarum, & antiquitatis erudite studia maxime floruerunt, haec profligata esse, ex quo ista docendi ratio est in his regionibus admissa. Quam egregie antea floruerit in Polonicae ditionis locis, & in regum palatiis solida, & sanctior litteratura, non ita pridem publicata tabula ostensum est, quae Toruniensium rem scholasticam, Sturmianis institutis adornatam, memorabat. Quandoquidem autem mortalibus solenne est, ut optima, & antiqua instituta saepe fastidiant, & temere conuertantur ad noua deteriora; atque subinde corrumpantur hominum iudicia, ut in delectu rerum sequan-

sequantur magis, quod placet, quam quod profit; expetantque, & eligant potius, quod vulgo laudatur, quam quod rectum, & laudandum est: officinis inde litterariis, & nostris metuenda est labes, nisi caueamus, abhorreamusque bona fide a vitiatæ disciplinae contagio, solidorum, & sanctiorum studiorum fastidio, & damnando temere, & proscribendo in delectu rerum discendarum, & cognoscendarum, quæ vulgi iudicio nec ad laudem, nec ad panem lucrandum pertinere putantur. Intercessit diuino munere talibus patriæ corruptelis **SERENISSIMORVM ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI NVTRITORVM, PII ERNESTI, & sapientissimorum FRIDERICORVM** prouidentia singularis, & summa autoritas, barbariem, & profanam nouitatem ab atriis nostris scholasticis non excludendo solum legibus, institutis, & adhibita curatorum docentium non minus, quam discantium operas inspectantium fide, & industria; sed suppeditando copiose, & abunde sanctæ, solidæ, & antiquæ non minus, quam recentioris litteraturæ instrumenta, & præsidia, nec non ornamenta, & oblectamenta, siue talia spectacula, quæ discantibus non minus prodesse, quam eruditos possunt oblectare. Exhibet ista Gothanis litteratoribus copiosissime palatina bibliotheca cum museo, celeberrimi Hortlederi consilio adornato, & omnis generis naturæ, & artis miraculis referto: ad quæ cognoscenda non præfectorum solum humanitas; sed ipsorum **SERENISSIMORVM PRINCIPVM, & nobilium palatinorum, istis discendi opportunitatibus, & otia oblectandi modis legitimis rite vrentium, exempla torpentes etiam, & minus curiosos excitant, prouocantque.** Singulis autem diebus natalibus dominicis accessionem ad rem litterariam Gothanam factam esse **SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ** prouidentia, & indulgentia clementissima, cum inter pia vota, quibus excipienda fuit lux illa auspiciatissima, vere potuerim prædicare, nec adhuc deest illa gratulandi cordatis litteratoribus materia. Apparet sub hunc etiam expectatissimum natalem noua rei litterariæ accessio **SERENISSIMI FRIDERICI** auspiciis, & liberalitate, operaque indefessa solertissimi **MVSEI palatini præfecti, CHRISTIANI SCHILBACHII,** collocatum in adornato recens theatro anatomico admirandum, & genuinum vltimæ litteratæ vetustatis monumentum, in quod nec **FRIDERICVS II.** si Harduino crederemus, corruptam ab hoc imperatore omnem antiquam rem litterariam, vetustosque codices & statuas pro libidine mutatas fuisse, vim vllam exercere potuisset, si voluisset, utpote a ditione ipsius longe remotum, **MVMIA** videlicet **ÆGYPTIACA** integra. Non temere in fronte nominatos declamatores, qui **ILL. Gymnasii** nomine dominicum natalem publicè pio officio profe-

qui

qui iussi sunt, inde dicendi petiisse materiam, & nouum PRINCIPALE be-
 neficium in Gothanos litterarum studiosos praedicasse, ex sermonibus eorum
 patebit. Reconditi forsan apparatus veteris Aegyptiorum sapientiae reco-
 gnoscendi cura impensior ne sollicitet vim inferre corpori tantae dignatio-
 nis, quam fasciarum species prae se fert, nec minoris admirabilitatis, quod
 integrum apparet prorsus, & ab omni vetustatis, itinerisque iniuria inta-
 ctum: praesto est ex alio non minoris pretii corpore Aegyptiaco lacerato
 extracta huius gentis sapientiae elementorum, hieroglyphicorum simula-
 crorum, beata copia, gemmae septuaginta duae, ad modum disciplinae A-
 gyptiacae fabrefactae, & inter has a nullo adhuc antiquario descriptus la-
 pis Aethiopicus, quem Herodotus, dum cum Diodoro Siculo sepeliendi,
 & condiendi corpora ritum accurate describit, initio adhibitum incidendo
 cum cerimonia cadaueri memorat: quas typis impressa, & vulgata MVMIO-
 GRAPHIA MEDICA, ab ipso B. possessore, CHRISTIANO HERTZOG,
 Germanice, ab erudito autem Gallo, Cabani nomine, Gallice cum figuris
 simulacrorum aeneis vulgata diligentissime explicatas exhibet. Sic Go-
 thani litteratores, vetustissimae, & in sacro codice laudatae sapientiae perue-
 stigandae cupidi, habent, quo cupidinem expleant, idque SERENISSIMI
 PATRIS PATRIAE prouidentia, & liberalitate, cura autem, & studio
 duorum solertium, & de hoc litterarum genere bene mereri gestientium
 CHRISTIANORVM, SCHILBACHII, & B. HERTZOGII. Talia tantae
 vetustatis monumenta qui oculis vsurpant, quamuis reconditae sapientiae
 designata placita scrutari non possint, minus tamen audient Harduino si-
 miles eruditae antiquitatis accusatores, imposturas clamantes, Mosemque, &
 Christum arguentes impostores, & ex vsu proscribentes vetustae sapientiae
 documenta omnia, tanquam corrupta, & spuria. Quotquot autem interio-
 res rationes inspicere poterunt, agnoscent, quantum sit, quod adhuc in tanta,
 quam iactamus, litterarum luce nesciuimus? quam pueri simus, quod Grae-
 cis olim Aegyptius sacerdos exprobrauit, in historia philosophica cognoscen-
 da? quantaque huic accessio speranda sit, si Aegyptiorum, & orientalium
 monumentorum inspiciendorum, & curatius peruestigandorum discendi cu-
 pidis detur occasio, dum his admiranda merito videtur insignium autorum
 copia, quos orientalis bibliothecae conditor, Herbelot, notatos cum suis scri-
 ptionibus exhibet. Fruamur interim grati, quae huius generis palatinus
 SERENISSIMI PATRIS PATRIAE thesaurus litterarius offert,
 monumentis, & cum omnibus piis ciuibus pro salute PRINCIPIS de re
 litteraria, & sacra meritisimi vota coniungamus, natalemque EIVS
 sapientius, & auspiciatissime redire optemus.

)o(

179 C.8

108

